

---

---

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

---

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

ЭСТАПАЧЕН

Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

3

# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

## HEPATITIDE;

*QUAM,*

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

*GRADU DOCTORIS,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS GAMBLE BEECH,

*DOMINICENSIS,*

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. ORDINAR.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

---

“ PHOEBE, fave, novus ingreditur tua templa sacerdos.”

TIBULL.

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

— — —  
M DCCCI.



MEMORIÆ

DAVIDIS WARDROBE, M. D.

DE CULT. IN SCOTIA,

ARMIGERI,

SOCIET. CHIRURGO-MEDIC. EDIN. SOC. HON.

ET

SOCIET. MEDIC. EDIN. SOC.;

QUI,

MORTALITATE BENE EXPLETA,

OB

IN SIGNEM ARTIS MEDICINALIS SCIENTIAM,

AD HUC AUTEM MAGIS

OB

OBITATEM, BENEVOLENTIAM, OMNESQUE BONAS ARTES,

AMICORUM FAMILIARIUMQUE

ANIMIS AC PECTORE

VIVIT DEFLETUS, VIVET DESIDERATUS;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI GRATI NEC BENEFICIORUM

IMMEMORIS

MONUMENTUM

D. D. CQE

JACOBUS GAMBLE BEECH.



VIRIS OPTIMIS

JOANNI WARDROBE,

ET

JOANNI GREENWAY,

IN

DOMINICA

CHIRURGIS PERITISSIMIS;

OB

AMICITIAM NON VERBIS MODO COLLATAM,

SED RE QUOQUE AMICISSIMISQUE CONSILIIS,

PEREXIGUUM HOC

ANIMI BENEFICIORUM INOBLITI

PIGNUS,

EX CORDE,

OFFERT

JACOBUS GAMBLE BEECH.



ADICAM OTTAVIA

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

---

HUNC morbum in *acutum et chronicum*  
divisit CULLENUS. De utraque specie,  
paucis dicere nobis consilium est. Acuta à  
CULLENO definitur his verbis :

“ Pyrexia ; *hypochondrii* dextri tensio et  
“ dolor, sæpe pungens pleuritici instar, sæ-  
“ pius obtusus ; dolor ad claviculam et sum-

A

“ mum

## DISPUTATIO MEDICA

"mum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnœa; tussis siccata; vomitus; singultus."

---

## HISTORIA.

ACUTAM hepatitis nonnunquam antegrediuntur languor et lasitudo. Haud raro etiam horror corpus permanat. Plerumque verò dolor in dextro *hypochondriorum*, ante omnia, indicat, hunc morbum invasurum esse. Hunc dolorem, post paulò, sequitur febris, quæ pulsu arteriarum frequente, valido, et duro cognoscitur.

Dolor, de quo æger conqueritur, sæpe acutus et pungens est, pariter atque is, quem movet *pleuræ* inflamatio. Interdum autem obtusus est; atque pars, ubi insidet, pondere onerari videtur. Plurimùm pressurâ inten ditur, itidemque ubi æger spiritum extrinsecùs in pulmones adducit, aut, recto capite, assidet, aut lateri incumbit sinistro.

Febris,

Febris, licet interdum levis, plerumque tamen vehemens est; neque raro æger vigiliæ premitur, atque mente alienatur. Tussi simul, haud raro, vexatur, modò siccâ, interdum humidâ. Arida et albida lingua est; arida et sicca cutis. Sitis immodica urget; atque in ore sæpe est ingratus sapor. Rubra urina est, atque, progrediente morbo, quasi bile suffusa. Semper parca est, atque frigescens sedimenti multum deponit.

Initio morbi, facies ferè est, ut, initio aliarum inflammationum, solet. Aliquantum tumida est, et sanguine suffusa. Increscente verò morbo, pallit; lugubrisque fit vultus.

In morbo, quem persequimur, dolent plerumque clavicula et summum humeri dextri. Hic tamen dolor haud perpetuus est, sed, sicuti solent spasmi, subinde intermittit, atque, æqualibus ferè temporibus interpositis, revertitur. Etsi hic dolor *hepatitidis* proprius sit, et optima enimvero nota, qua cognoscatur,

haudquaquam

haudquaquam tamen omnem hoc morbo laborantein affilit.

*Hepatitide* acutâ correpti, etiamsi raro, tamen interdum, singultu molestissimo vexantur, itemque nauseâ, redundatione stomachi, et bilioso vomitu. Alvus plerumque astricta est. Infrâ tamen, haud raro, erumpunt biliosa quædam et spumosa; atque inanis egerendi cupiditas, *tenesmus* dicta, urget. Paucis ab initio morbi diebus, oculi plerumque et facies aliquantûm flavescent, uti solent, incipiente morbo regio.

Inflammatio, de qua scribimus, sæpius aut convexam hepatis faciem afficit, aut concavam; atque quædam ex signis, quæ memoravimus, pro inflammationis sede, leviora sunt, aut graviora. Inflammata enim convexâ facie, dolor pungens est; atque, ob septum transversum inflammationis particeps, aut saltem inflammatae hepatis parti consensit, æger singultibus crebris concutitur, atque, sicuti pulmonum inflammatione affectus, nequit,

nequit, sine dolore et difficultate, animam reciprocare. Acutus autem dolor, ad claviculam et summum humerū dextrum, obstat, ne, ex hac signorum similitudine, ambigant medici, uter morborum urgeat.

Ubi concavam, contrā, hepatis faciem affecit inflammatio, contiguus simul stomachus se malè habet; atque non solum nauseat, sed magnam etiam vim biliosæ materiæ suprà transmittit. Nonnunquam etiam in vesicam felleam, et ductus quibus fel excernitur, serpit inflammatio: quod quoties accidit, flavescent oculi et cutis.

Dictis signis, quæ, uti ferunt auctores, *hepatitidi acutæ* propria sunt, proximum est, ut notas memoremus, quibus cognoscatur *longa* seu *chronica*. Hæc autem rei nostræ pars imprimis difficilis est. Quippe longa *hepatitis*, haud raro, per hebdomadas, imò nonnunquam menses, adeò obscura est, ut homo molestiæ insolitæ vel invaletudinis non conscient sit.

Prima plerumque mala, quibus cognoscuntur hic morbus, ex stomacho imbecilli, et ad cibos satis concoquendos parùm valente, oriuntur. Nonnunquam autem, licet jam incepert morbus, hæc mala nondum, vel saltem vixdum, urgent.

Plerumque verò, ubi jecori latet obscurus hic morbus, hepaticus, assumpto cibo, stomachi inflatione afficitur, et, pòst aliquantò, acida subinde eructat. Nonnunquam, sicut famelicus, cibos rabidè devorat; atque, rabiē edendi expletâ, stomachus ciborum onere gravatur, simulque spiritu distenditur, quem ructu subinde transmittit suprà. In stomacho invalido assumpti cibi, sæpe longo tempore, crudi morantur.

Magnus, haud rarò, stomachi defectus est, atque nausea matutina. Animadvertisendo, qualis facies sit, ferme judicare possumus, inveteraverit, necne, morbus. Hoc enim inveterato, facies pallida est, tumida, flavo colore saturata; imò, nonnunquam obscurè alba. Ocu-

li non, ut olim, nitent. Tunica oculo *adnata* faciei concolor est.

Eodem tempore, quo hæ notæ manifestæ sunt, in *epigastrio* molestus sensus percipitur. Hinc dolor dextrum *hypochondriorum* petit, ubi sedes morbi est; undè ad claviculam migrat, et summum humerum dextrum.

Arteriarum pulsus ferè naturales sunt. Æger autem languescit, mirum in modum, atque solita munera perficere piget. Alvis astricta est, atque interdum spiritu distenta. Haud tamen raro infrà transmittit biliosa, atque modo iis parùm convenientia, quæ assumentur.

Æger difficilis est, stomachosus, solusque esse mavult. Simulque, licet veternosus sit et somniculosus, nequit tamen alto somno frui; quippe enim frequenter ex somno timet, terrificis imaginibus excitatus, quæ præsensi malum minitantur.

Alta et frequentia suspiria persæpe spiritum interrumpunt. Gingivæ solito aridiores sunt,

sunt, et duriores. Arescit lingua; arescit et aspera fit pellis. Urina solito coloratior est, et parcior. In nonnullis sitis vehemens est; in aliis, per totum morbum, modica.

Increscente morbo, arteriarum pulsus crebriores fiunt, atque, appetente vespere, imbecilliores. Spirandi difficultas persæpe plurimùm augetur tussi siccâ et asperâ. Æger, id sanè quod mirum est, nequit sternuere, etiamsi pungentissimis sternutamentis nares offendantur. Utrivis laterum æger difficile incubit, difficilius tamen sinistro; atque tanta nonnunquam vis doloris est, ut pronus genibus se manibusque suffulciat.

Procedente hoc morbo, ægrorum humeri solito magis prominent; itidemque pectus, quod etiam carinatum fit.

Nulla huic morbo constat longinquitas. In his, citato pede progreditur; in illis, lentiore. Sub fine m, æger, advesperascente die, febricitat, simulque sudoribus, nocturnis digeritur. Neque multò pòst, supervenit diar-

rhœa, quæ brevi, mirum in modum, vires dissipat.

Ubi eò processum est gravitatis, magno pondere gravatur dextrum *hypochondriorum*; atque hepatis tumor adeò nonnunquam magnus est, ut tam oculis quam digitis percipi possit. Arteriarum nunc motus exiles sunt, imbécilli, et intermittentes. Hepate demum suppurato, atque absorpto ex suppuratis pure, *hectica* insanabilis supervenit; neque multò post, miserandus, macie confectus, ad plures migrat.

Nunquamne, post hepar suppuratum, hic morbus ad sanitatem pervenit? Imò, ubi, id tamen quod rariùs accidit, pus perrodit aut extrorsum, aut in stomachum, aut colon, aut vesicam felleam; atque, renatâ substantiâ, sanescit ulcus.

En signa, quibus utraque *hepatitidis* species plerumque cognoscitur. Longa autem *hepatitis*, haud raro, adeò obscura et quasi insidiosa

insidiosa est, ut vix, imò ne vix quidem, vel à peritissimo medico detegi possit.

Primum signum, quo obscuram *hepatitidem* latere medici inducantur ut conjicant, est facies decolor. Haud multò pòst, æger, alvi profluvio affectus, mucosa et acria subinde dejicit. Subsequuntur defectus stomachi, macies, languor, debilitas, atque crebræ putridæ materiæ dejectiones. Omnia hæc mala, haud rarò, urgent, neque tamen æger de ullo dolore conqueritur. *Hectica* demum obrepit; atque, morbo incognito, æger lentâ morte consumitur. Medicus, patefacto corpore, tunc primùm cognoscit, deflectum hepatario morbo perivisse.

Hic morbus aliam speciem, præ se, fert in montosis INDIÆ regionibus, ubi *MONTICOLARUM FEBRIS* nominatur. Sinistrum potissimum lobum hepatis afficit. Intermittentem simulat, quæ incertis temporibus revertitur. Calcscit, præter solitum, corpus. Urget sitis. Pulsus arteriarum

arteriarum debiles sunt, exigui, et temporibus inæquales. Sensu simul molesto afficiuntur *epigastrium* et dextrum *hypochondriorum*.

FINES

## FINES MORBI.

*Hepatitis*, pariter atque aliæ inflammations, finiri potest aut resolutione, aut suppuratione, aut partis inflammatae scirrho, aut gangrænâ. Hic verò loci, confitendum est, rarissimè in gangrænam transire.

Ubi hæc inflammatio propè est, ut discutiatur, aut sanguis è naribus profluit vel ano ; aut magna vis bilis suprà infrâve transmittitur, ei haud absimilis, quæ erumpit, dum urget *cholera* ; aut profusi sudores toto corpore oriuntur ; aut urina magnâ copiâ redditur, multumque sedimenti deponit ; aut sputum copiosum et tenax ex pectorc movetur tussi ; aut erysipelas aliquam partem externi corporis afficit.

*Hepatitis,*

*Hepatitis*, haud secūs ac aliæ inflammations internarum partium, nonnunquam finitur humore glutinoso ex parte inflammata effuso. Ubi hoc accidit, hepar adhæret vicinis partibus: quo fit, ut ægri, acutâ *hepatitide* laborantes, quasdam corporis posituras tolerare nequeant, propter dolorem acutum, quem movent. Hinc hepatici plerumque nolunt sinistro lateri incumbere.

Ubi hic morbus ad suppurationem transit, æger semper in magno discrimine versatur. Nam fieri potest, ut pus in uno pluribusve abscessibus contineatur; qui, quippe cùm sint in hepatis interaneis, integri maneant, donec pus ex his resorptum, et in sanguinem delatum, *hecticam* moveat, quæ lentâ tabe ægrum consumat.

Pars autem inflammata, modò sit prope hepatis superficiem, haud rarò, per effusam sanguinis *lympham*, alicui parti contiguæ accrescit. Suppuratione itaque finitâ, pus erumpit in varias partes, pro sede abscessûs,

et

et contiguâ parte, cui hujus parietes accreverint.

Si convexa hepatis facies, inflammatione correpta, accreverit *peritonæo*, quod communia abdominis tegumenta investit, pus, his perrosis, extrorsum erumpit. Sin pars ejusdem faciei inflammata septo transverso adhæserit, pus, per hoc, viam sibi facit in cavaum thoracis, et signa *empyematis* movet; vel, si contiguus pulmo eidem septi transversi parti coaluerit, in *bronchia* hujus pulmonis sese insinuat, ex quibus miser tussiendo expectorat.

Quòd si concava jecoris superficies ex inflammatione suppuraverit, atque pars affecta aut stomacho accreverit, aut summo intestino, aut intestino sinuato, aut vesicæ felleæ; pus in unam aliamve harum partium, cui adhæserint apostematis parietes, erumpit, atque aut suprà per os, aut infrà per anum, corpore eliminatur.

At

At verò si suppurata jecinoris pars nulli contiguarum partium acreverit, pus, peresis abscessûs parietibus, in cavum abdominis effunditur.

Suppuratio seriùs ociùs accidit, pro inflammationis gradu, pro ægri temperamento, pro curatione, pro cœlo et anni tempestate. Ubi pus concoctum est, dolor dextri *hypochondriorum* remittit; pars, ubi hepar est, videatur pondere gravari; rigores corpus percurrent; appetente vespere, æger febrit et calescit; tertiâ noctis vigiliâ, toto corpore insudat, omnia membra debilitatus.

Ubi apostema in gibba hepatis facie est, tumor, pulsu externo sensum humoris fluctuati movens, persentiri potest. Signa modò dicta, quæ pus jam coctum esse indicant, non semper manifesta sunt; et igitur, ne perperam judicet medicus, morbum jam discussum esse, observandum est, ni remissionem decessumve doloris antegressa sint quædam ex subsidiariis profluviis, quæ suprà membravimus,

ravissimus, ni suus in faciem color et decor redeant, ni vires revalescant, ni æger sine dolore sinistro lateri incumbere possit, ni, ad vesperascente die, insolitis frigoris et caloris vicibus, quales febrem solent indicare, vacuus sit, medicum debere quam cautissime in futurum præsagire; quippe verisimillimum esse, inflammatam partem suppurare, aut pus jam propè esse, ut concoquatur.

Ubi inflammatio hepatis in gangrenam transivit, aut in eo est, ut transeat, id tamen quod rarissime accidit, dolor ex acuto subito decedit; arteriæ motibus imbecillis et tremulis creberrime micant; extremæ membrorum partes inalgescunt; æger animo linquitur, nec multò post extremum spiritum efflat. SANDERISIUS, ut ipse auctor est, nonnullos infelices vidit, quibus hoc modo inflammatio hepatis mortem attulit.

Acuta, denique, *hepatitis* nonnunquam transit in duritiam. Quod cum acciderit, hepar modò cum mole tum pondere augescit; modò decrescit.

## INTROSPECTA INTERANEA.

PATEFACTO abdomine post mortem, primo interdum intuitu superficies hepatis naturalem, præ se, speciem fert, neque ulla exhibet fatalis morbi vestigia. Hepate autem emissiis oculis inspeçto, dexter lobus auctus, præter solitum, observatur, tumidulus, ac septo transverso adhærens. Quinetiam, hepate profundè inciso, vis haud modica humoris purulenti et saniosi, datâ portâ, exit.

Plerumque verò introspicientium oculis hepar obvenit penitus morbidum, mole plurimum auctum, atque partibus contiguis adhærens. Nonnunquam etiam pulmones morbidi conspiciuntur; et videntur participes fuisse inflammationis, quæ, in hepate, pus moverat. In abdomine, magna interdum vis

puris

puris reperitur. Hic autem verba celeberrimi auctoris, pro me, ponam.

“ Cadavere aperto,” inquit HOFFMANNUS,  
“ in tota ventris cavitate reperta est ingens  
“ copia puris; peritonæum quoque disrup-  
“ tum et putridum conspiciebatur; hepar  
“ durum, ingentis magnitudinis, albicans cir-  
“ ca stomachum, sed, in gibba sui parte prope  
“ costas spurias, nigrum, exustum, et gan-  
“ grænâ infectum. In hepate autem nullum  
“ conspiciebatur pus. Præcipua autem cor-  
“ ruptio hepatis erat in parte dextra, versus  
“ costas spurias, et musculos intercostales,  
“ qui etiam cum costis spuriis nigredinem  
“ contraxerant, instar carbonis, et facillimè  
“ frangi poterant\*.”

Utrique nonnunquam hepatis lobi morbidi  
inveniuntur; atque obsiti glandulis duritiâ  
affectis,

---

\* Vid. HOFFMAN. *Oper. Omn.* edit. ann. M,DCC,XL.

affectis, quæ avellanam, aut gallinaceum o-  
vum, mole æquant, atque ex quarum una al-  
terave suppurata pùs in abdomen effusum est.  
Hæ glandulæ membranâ densâ et albida in-  
vestiuntur; atque ex iis incisis effluit humor  
pallidus albidusve, qui eum ex *steatomate* re-  
fert \*.

Multa alia morbida, quæ ex introspecto  
hepate oculis sese offerunt, possent ex MOR-  
GAGNI et BAILLEII scriptis excerpti, atque  
ex iis aliorum scriptorum magni nominis; sed  
ad rem nostram satis erit memorare, GREGO-  
RIUM, ut ipse testatur, adfuisse in valetudina-  
rio EDINBURGENO, ubi patefactum ferro cada-  
ver est, totum cuius abdomen opplevit hepar,  
quod octodecim libras pondere æquabat.

GAU-

---

\* Vid. CLARK. *Med. Comment.* vol. iv.

---

---

CAUSÆ REMOTÆ.

CAUSÆ remotæ *hepatitidis*, licet numero plurimæ, tamen non semper detegi possunt, atque, enimvero, haud paucæ falsò memoratæ sunt.

Calor humano corpori extrinsecùs admotus, ad morbum, quem persequimur, movendum plurimùm valet. Ita esse, eò satis constat, quòd in hunc sæpius incidunt ii, qui calidas regiones incolunt.

Quomodo verò calor hepatis inflammacionem concitet, exponere non possumus. Consentitur tamen inter omnes, mortales, qui vitam diù egerint inter metas solstitiales, huic morbo adeò obnoxios fieri, ut ex levissimis causis cum nanciscantur.

Causis

Causis etiam excitantibus annumeranda sunt, cranium fractum; jecur extrinsecus percussum; corpus frigori commissum. Quin *hepatitidem* faciat frigus, ignorat nemo medicorum, qui, in regionibus sub curru propinqui solis sitis, mortalium valetudinibus consuluerunt. Quām enim sāpe hoc morbo corripiuntur ii, qui, corpora calefacti, in frigidarium descendunt; qui uda humo decumbunt, aut somnum capiunt; quive aquam frigidam sitienter hauriunt?

Quinimo, hoc causarum genere comprehenduntur motus quidam animi; exercitatio vehemens sub fervido sole; concreta fellea *ductui* sive *hepatico* sive *cystico* inhārentia; concreta in ipso hepate; corpus nocturno aëri expositum; intemperantia, præcipue ebriositas, qua sanè nihil ad longam *hepatitidem* concitandam tantūm valet; febres, tam intermittentes quām remittentes; difficultates intestinorum imperitè curatæ; diæta, denique, ex materia infirma aut insalubrī.

Mortales

Mortales sanguineo temperamento, sunt, præ cæteris, opportuni *hepatitidi acutæ*; quippe enim his sunt jecora ad irritandum faciliora. Ii, contrà, temperamento melancholico, quorum corpora morbis infirmata sunt, animique solicitati vigilibus curis, *longæ maximè obnoxii* sunt.

Fœminæ hoc morbo rarissimè plectuntur. Certiores nos facit CLARKIUS, ex centum hepaticis, quorum saluti consuluit, tres non amplius fœminas fuisse.

Perhibet GIRDLESTONIUS, se nunquam vidisse impuberes *hepatitide* affici; atque superdicit, viginti tympanotribarum legionis centesimæ primæ, qui nondum pubuerant, ne unum quidem in hunc morbum incidisse, etiamsi, pariter atque commilitones, causis, quibus solet concitari, objicerentur.

## CAUSA PROXIMA.

DE hac re, in contrarias sententias, et inter se pugnantes, à medicis processum est. Quum ita sit, nihil amplius quām eas à CULLENO et SANDERISIO prolatas memorabimus:

Censet CULLENUS, uti cæterarum partium, quæ inflammationem conceperint, arteriæ nimia plenitudine justo vehementius micant, atque, quò nimium sanguinem digerat, *vis medicatrix naturæ arteriarum* extremitates spasio afficit; ita inflammati jecoris arterias, præ nimio sanguine in eas derivato, sese nimirū perè movere, atque *vim medicatricem* extremis arteriis spasmum inducere, ut, sic arteriarum motus adhuc magis incitando, cumulatum sanguinem aliorsūm distribuat.

In

In omni parte inflammata, uti SANDERI-  
SIUS contendit, vasa sanguine, praeter solitum,  
plena sunt. Quin ita sint in partibus exte-  
nis inflammatione affectis, nemo negare po-  
test. Namque primum harum partium, pre-  
sertim *tunicae adnatæ*, inflammationis signum,  
est cruor in vasis, quæ, dum sana sunt, per-  
lucidas tantum sanguinis partes intromittere  
solent. Hoc accidit vel nimiis, à tergo, ar-  
teriarum motibus, vel morbidâ arteriarum in  
parte laxitate, propter quam solitæ vi dis-  
tendent arteriarum, à tergo, cedunt. Veri-  
simillimum autem est, nimios motus et laxi-  
tatem vicissim efficere et effici.

Eadem, quæ, de inflammatione *tunicae ad-  
natæ*, vera sunt, vera itidem sunt, de inflam-  
matione hepatis. Hoc enim viscus inflam-  
mationem concipiat ex vi extrinsecùs illata ;  
quod quoties accidit, arteriæ solito vehemen-  
tiùs micant. Confitendum verò, contrà, est,  
inflammationem posse oriri, etiamsi nulla,

quantum cognoscitur, corpori admota sint,  
quibus arteriarum motus concitentur.

Quemadmodum acuta inflammatio in longam transeat, SANDERISIUS sic explicat. Omnis partis inflamatæ vasa, nimio sanguine oppleta, ultra modum salutarem distenduntur. Dummodo verò sanguis, quo opplentur, priùs aliorsum distribuatur, quām vim resiliendi amiserunt, ad pristinam paucatim amplitudinem sese contrahunt.

Quod si morbida arteriarum plenitudo manet, usquequod resiliendi vim amiserint arteriæ, subveniendum erit sanguinem detrahendo, iisque remediis medicamentisque, quæ arterias sese contrahendi, uti solent sanæ, potentes faciant.

*Hepatitis* acuta, si verè conjectet SANDERISIUS, in arteria hepatica insidet; longa, contrà, in vena portarum.

---

---

RATIO SIGNORUM.

*DOLOR, ad claviculam et summum humeri dextri,—aliis causis ab aliis auctoribus attributus est. Sunt, qui censeant, ex inflammatione, viâ septi transversi et mediastini, ad superiorem thoracis partem serpente oriri. At si hoc verum esset, eodem dolore affligeretur omnis, cuius pulmones, aut costarum pleura, inflammatione laborarent.*

Nobis vero haud absimile videtur, hunc dolorem moveri consensu, qui, per tertium cervicis nervorum par, et ramum septimi paris in hepar distributum, est huic organo, cum *claviculari*, et summo humeri dextri. Verum haud scimus tamen, annon efficiatur consortio,

consortio, quod, per nervos, partibus ejusdem lateris corporis intercedat.

*Decubitus in latus sinistrum difficultis*—magis oritur, uti videtur, ex inflammatione ligamenta hepatis affidente, quam auctâ hujus mole. Nam ab auctoribus fidis accipimus, ægros interdum hoc malo urgeri, quorum hepar magnitudine sanum parùm excedit.

*Dyspnœa, singultus, tussis*,—nascuntur inflammatione, non in septum modò transversum, verùm in *pleuram* quoque costarum, et pulmones ipsos, propagatâ. Quinetiam, in longa *hepatitide* aucta jecinoris magnitudo, quippe cum, ne descendat septum transversum, impedit, faciat spirandi difficultatem.

*Hypochondriorum dextri tensio et dolor*—rectè, uti nobis videtur, inflammationi aliquius partis dextri lobi hepatis attribuuntur.

*Vomitus*,—quo vexatur æger, ubi concava hepatis superficies inflammatione afficitur, cietur aut nimiâ bile, ut interdum, secretâ, atque, per ductus hepaticum et *choledochum*,

in

in sumnum intestinum delatâ, dein verso hu-  
jus motu in stomachum, quem redundare et  
contenta rejicere faciat; aut inflammatione,  
quæ à hepate in hunc ipsum serperit.

## DIAGNOSIS.

## DIAGNOSIS.

PRO *hepatitide*, sequentes morbi, per errorem, quem creet signorum similitudo, haberi possunt; *pneumonia*, nempe, *gastritis*, *rheumatismus*, colicus dolor qualem movet spasmus, atque *dyspepsia*. Quibus igitur ab his diagnoscatur, nunc quam brevissimè dicendum est.

*Pleuritidem*,—eam scilicet *pneumoniæ* speciem, quæ *pleuræ* pulmonum aut costarum insidet, dummodo dextrum latus affecerit, à *hepatitide* gibbæ faciei hepatis distinguere, in primis difficile est.

In illo morborum, dolor rarissimè infra sextam costam est; in hoc, ferè semper. Quintam, in *pleuritide*, dolor, haud raro, huc il-

luc thoracis, vagatur, in *hepatitide* non itidem ; atque multò magis, spiritu extrinsecùs adducto pulmones implendo, exasperatur. Pleuriticus, porrò, non tantam vim doloris accipit ex sano lateri decumbendo, quantam hepaticus. His accedat, quòd tussis, quâ vexatur pleuriticus, multò eâ crebrior est vehementiorque, quâ hepaticus, et insuper humida ; atque, quod extussitur, id strias plerumque exhibet sanguinis interpositas. Pleuriticus, denique, contrà atque hepaticus, nullum accipit dolorem, circa summum humeri dextri et *claviculam*, ex dextro hypochondriorum compresso.

Haud multùm autem ægrorum interest, discernant, necne, medici, uter morborum, quibus tanta signorum similitudo sit, curationem postulet : quippe, iisdem utrique medicamentis curantur, iisdemque remediis.

*Gastritidem*—anxietas maxima ; ardor et dolor ubi stomachus est, præcipuè circa scrobiculum cordis ; devorata liquida derepentè et

et magnâ vi rejecta; vires plurimùm prostratæ; et, maximè omnium, dolor nullus *claviculæ* et summi humeri dextri; satè, uti nobis videtur, à *hepatitide* distinguunt.

*Rheumatismum*—inter, qui dextrum hypochondriorum afficit, et *hepatitidem*, hoc interest, quòd, in illo morbo, in hoc non item, dolor, haud raro, muscularum viâ, huc illuc, vagatur; quòd æger neque tussi vexatur, neque spirandi difficultate; quòd dolor mitior aut gravior est, pro posituris corporis, atque cum dolore unius artûs, pluriumve simul, vices alternat.

*Coli spasmo*—acutam *hepatitidem* dignoscere neutiquam facile est. Etenim mala, quæ coli spasmis enascuntur, adeò similia sunt iis, quæ movet hæc *hepatitis*, ut si dolor, ut interdum, neque summum humerum dextrum ureat, neque dextram *claviculam*, medici nevolent, utro morborum laboret æger, discernere. Distinguendi, porrò, difficultas adhuc magis augetur, eò quòd ex coli spasmis dolor adeò

ad eadem levis est, ut vix sentiatur; quodque alius per quam astricta est, atque æger alterutri pariter lateri decumbere potest.

Ubi tanta signorum similitudo movet dubitationem de morbo, oportet medicum animal ad omnia mala advertere, quæ ægrum urgeant; atque percunctari, quibus malis incepert invaletudo, quæque postea supervenerint. Ex enim horum notitia, brevi plerumque disceritene poterit, quo æger morbo affligatur.

*Dyspepsia*—tanta similitudo est cum longa *hepatitide*, ut medicus advocatus animo incertus sit, uter morbus urgeat. Multa enim malorum, quæ hac *hepatitidis* specie oriuntur, eadem sunt, quæ affert *dyspepsia*.

Ubi igitur hujusmodi malis afficitur quisquam, cuius jecur male se habere suspicamur, percunctari debemus, dextrone hypochondriorum doleat, scrobiculove cordis; atque, modò doleat, et dolor, pressu adhibito, ad summum humerum dextrum sese extendat, animad-

vertere, quæ signa, progrediente morbo, sese manifestent: namque, brevi tempore, pulsus celer, calor solito major, aliaque febris indica, appetente vespere, supervenient, neque dubitationem relinquent, quin urgeat longa *hepatitis.*

PRO-

---

---

PROGNOSIS.

OPORTET medicum pernoscere, gravis morbus sit, an levis; quamdiu continuaverit; atque quâ homo valetudine frueretur, priusquam *hepatitide* correptus sit: dein, ex horum notitia, præsagire, quid sit eventurum.

Si, in calidis regionibus, quenquam affecit *hepatitis*, longâ ibi commoratione, aut duro labore, aut intemperantiâ tenuatum, atque tam animo, quâm corpore infirmum, ei securitatem pollicere non tutum est. Quippe, in his regionibus, seu quadam cœli gravitate, seu loci vitio, seu corporis proprietate, acuta haud raro *hepatitis* brevi transit in suppurationem; imò interdum, ubi signa nullum eventûs tam periculosi metum medico injec-  
rint,

rint. Cùm ita sit, ægrum salutis spe consolari vix licet, nisi, ineunte morbo, adhibitus medicus sit, vel saltem opportunè advocatus subvenerit.

Magna spirandi difficultas ; tussis frequens, sicca, et molestissima ; magna vis doloris in dextro hypochondriorum, hincque subinde ad *clavicularam*, et summum humerum dextrum, tendentis ; arteriarum pulsus celeres et duri ; cutis arida ; alvus astricta ; singultus ; et maximè delirium ; indicant, ægrum in summo discrimine versari, imò, ni vocatus subveniat APOLLO, brevi periturum.

Quòd si hæc mala profluvio, quod seu ars fecerit seu natura, levata sunt, simulque, ubique cutis, erumpit sudor lenis ; scire licet, ægrum non periclitari.

At verò, si medicamentis et remediis opportunè adhibitis mala non mitigata sunt, sed, etiamsi levia, continuant, neque suus faciei redit color, neu redintegrantur vires ; periculum est, ne pars inflammata suppuret.

Ubi

Ubi, ab initio adversæ valetudinis, *hepatitis*, præ se, speciem vetustæ tulit, atque, medicinâ opportunè subveniente, æger cùm colorem tum vires redipiscitur; et, ubi ea, quæ dejiciuntur, odoris fœditatem amittunt, specieque ea simulant sani hominis, itemque odo-re; bonum, in futurum, præsagire licet.

At, ubi, medicinâ aut neglectâ, aut parùm valente, morbus inveterascit, atque dolor, etsi non gravis, febrem comitem habet; ubi corpus quotidie emacrescit; et ubi labuntur vires, neque, præ invaletudine, cibos appetit stomachus; malum est. Sæpe enim supervenit suppuratio, quæ vix non lethalis. Quippe pus ex suppurrato absorptum, et per vasa bibula in sanguinem delatum, tristem *hecticam* movet, quæ, tempore haud longo, mortem affert.

Non tamen semper ex suppurrato hepate mors evenit. Pus nonnunquam sibi viam erodit, aut in pulmones, aut stomachum, aut alvum; atque, ulcere sanescente, æger pris-

tinam

tinam paulatim valetudinem et vigorem redipiscitur, postquam mācie et debilitate haud procul absfuit, ut moreretur. Nonnunquam, ex suppurato gibbæ hepatis superficie, pus, eroso adjuncto et adhærente abdominis pariete, extrorsum effunditur, atque æger revalescit.

Si verò quando, abscessu nulli contiguarum partium adhærente, pus in cavum abdominis erupit; conservari hepaticus non potest, sed brevi morti succumbit.

## CURATIO.

Ex iis, quæ suprà diximus, constat, aliâ ratione acutam *hepatitidem* curandam esse, aliâ vetustam. Quæ igitur utrique conveniat curatio, nunc quàm paucissimis propo-  
nendum est.

*ACUTA.*—Quum, acutâ *hepatitide* urgente, arteriæ, eæ præsertim hepatis, vehementius micent, quàm ex consuetudine, nimios harum motus oportet sedare, et sic inflammationem discutere.

Idonea, hunc in finem, remedia sunt, abstinentia ab omnibus incitantibus; detractio sanguinis; exulceratio; atque alvi purgatio medicamentis, ex iis, quæ, dum alvum exinaniant, totum refrigerant corpus.

His

His remediis *hepatitidi*, primo quoque tempore, subveniendum est; morâ enim interpositâ, parùm valebunt. Utì autem maturè factò, ita consulto, opus est; atque medicus debet considerare, tam quantum morbus desideret, quàm quantum ægri vires tutò pati posse videantur.

Simul ut his remediis vis inflammationis aliquantùm conquievit, hydrargyro opitulandum ægro est, ne inflammatio in suppurationem transeat, aut duritiam. Nunquam, enimvero, vel in recente *hepatitide*, omittendum hoc medicamentum est; nam à medicis accipimus, qui in INDIIS medicinam fecerunt, omnes ferme hepaticos, qui, post mitigatam inflammationem, in usu hydrargyri perseverant, dum os inardescat, et aliquandiu pòst, ex morbo convalescere.

Curatione, quam memoravimus, medicus, dummodo opportunè adhibitus sit, plerumque poterit ad sanitatem *hepatitidem* perducere. Quòd si, seu vi signorum, seu medi-

cinæ impotentiâ, morbus non discutitur, sed ex acuto inveterascit; tum in aliam curandi viam procedere oportet.

Ubi inveteravit *hepatitis*, medici est, hepatis duritiam emollire, simulque pristinum corpori restituere vigorem.

Quacunque causâ longa *hepatitis* oriatur, experientia docet, optimè sanari laxantibus lenioribus, exulceratoriis, hydrargyro, atque medicamentis, ex iis quæ corpus roborant.

*Hydrargyrus*—cæteris omnibus medicamentis præpollet facultate arterias sic incitandi, ut sanguinem in corpus æqualiter totum perseveranter distribuant. Sic faciendo, ut sanguis ex partibus, quarum vasa nimis implentur, aliorsùm derivetur, inflammations digerit, atque duritias emollit, eas præsertim glandularum. Quum ita sit, neutquam mirum est, eo longæ *hepatitidi* medicos prosperè subvenire, postquam cætera medicamenta fefellerint.

Utì autem hydrargyrus efficacissimum medicamentum est, ita consideratè utendus. Debet in corpus paulatim introduci, ne, corpus vehementer et forsitan inæqualiter stimulando, valetudini noceat, simulque minus valeat ad curandum morbum.

Dum unguentum ex hydrargyro dextro hypochondriorum infricatur aut feminibus, opus nonnunquam est, ut *murias hydrargyri dulcis* assumatur in stomachum. *Muriati*, modò alvum purgit, conjungatur opium.

*Exulceratoria*, — dextro hypochondriorum imposita, videntur longâ *bepatitide* laborantibus nonnunquam profuisse. Plerumque verò parùm proficiunt, nisi, acri unguento admoto, aliquandiu obstetur, ne exulcerata pars cicatricem contrahat. Dummodo autem tali unguento curetur pars, exulceratio multum ægris subsidium afferet. Etenim, ut à SANDERISIO\* accipimus, DICKIUS, qui, complures

---

\* Vid. SANDERIS. *On the Liver, &c.* pag. 196.

plures annos, medicinam in INDIA ORIENTALI fecit, compertus est, ulcus acu filum ducente factum, itemque *fonticulum*, in dextro hypochondriorum, expectatione melius responderet.

*Cathartica*—quoque nonnihil, ad longam jecoris inflammationem discutiendam, interdum conferunt. Cæteris hujus generis medicamentis præpollent *tartris potassæ acidulus*.

*Roborantia*.—Stomachi imbecillitas, omnium ferme longâ *hepatitide* tabentium communis, qua ad cibos perficiendos invalidi sunt, requirit medicamenta et remedia, quæ certitudinem restituant.

Hoc consilio, efficacissima medicamenta sunt, *cortex cinchonæ*; *colombæ radix*; aqua, in quam fervidam macerata folia *chamæmelii* sint; *sulphas ferri*, et *tinctura ferri*. Hæc enimvero, modò consideratè assumantur, multum pollent, cum ad stomachum firmandum, tum totum corpus.

Numne hoc morbo laborantibus proficeret,  
lacte lactentibusque vivere?

Eundem in finem, utilissima erit levis subdio exercitatio. Qum ita sit, oportet ægrum quotidie aut equitare, aut rhedâ vehi, quæ aëris perflatum habeat.

Si hunc morbum comitatur febris intermit-tens, iisdem pugnandum est medicamentis remediisque, quæ memoravimus.

Molesta nonnunquam tussis, et diarrhœa, longam jecoris inflammationem comitantur. Ad tussim sedandam nihil tantum valet, quantum temperatus opii usus. Alvi autem fluxus interdum adeò præceps est, ut astrictoria medicamenta postulet. Hæc verò cautissimè assumenda sunt: aliter enim plurimum nocebunt. Ad ea, enimvero, nunquam priùs decurrentum est, quām alvi profluvio ægri vires jam aliquantum dissipatae sint. Neque, profectò, tum quidem, nisi mitissima, præscribenda sunt. Utile, porrò, erit ad al-

vum

vum cohibendam, ægrum lanea cuti proxima habere.

*Acidum nitricum*, — uti nuper à SCOTTIO acceptimus, qui BOMBAIÆ medicinam exercet, plurimum ad vetustam *hepatitidem* sanandam pollet, itemque *luem venereum*, aliasque quosdam morbos.

Efficax ad *luem venereum* curandam *acidum nitricum* esse, inter omnes ferè medicos, convenit; etiamsi, ubi primùm invalescebat, haud pauci medici multi nominis audacter floccifacerent. Verùm æquè, necne, polleat, ac hydrargyrus, ad sanandam *luem venereum*, periculis comperiendum erit.

Certiores nos facit SCOTTIUS, vetustam *hepatitidem*, quâ ipse laborabat, novem diebus *acido nitrico* curatam esse. Nullo eum detrimento affecit hoc medicamentum, nisi quòd gingivas leviter tumefecerit, solitoque oris uberiorem salivam moverit. Compluribus etiam *lue venerea* inquinatis utendum curavit, qui in usu hydrargyri diù frustrà perse-  
verârant.

verârant. Neque, enimvero, dedisse pœnituit, quum tabe purificaverit, reduxeritque ad sanitatem.

*Acidum nitricum* medicamentum est adeò mite, adeòque adhibitu commodum, ut dignissimum videatur, quod experiantur medici; atque in primis mirum nobis videtur, quatuor jam annos præterivisse, ex quo tempore laudibus palam evexit SCOTTIUS, nequedum ultimum medicorum scriptis edidisse, respondeat, necne, periclitatum, atque datas ei laudes mereatur.

Si, medicinâ neglectâ parùmve valente, morbus adeò non inclinet, ut ingravescat; ægro præcipiendum est, ut cœlum quamprimum mutet, vel, si quid prohibeat, in regionem haud adeò longinquam, primo quoque tempore, navi vehatur: periculo enim compertum est, navigationem, non ita longam, inexpectatam ægro sanitatem nonnunquam afferre.

Dictis

Dictis medicamentis et remediis, quibus utraque hepatis inflammatio digeratur, nunc tantum restat, ut paucis dicam, quibus hepatis suppuratum sanetur.

Pus ex suppurato hepate in varias partes, ut supra memoravimus, sponte erumpat; unde, sine aut medicinæ aut chirurgiæ auxilio, corpore eliminetur. Optimum verò est, ubi, erosâ sibi viâ, per contiguum gibbæ hepatis superficie parietem abdominis, extrorsum erumpit.

Dummodo igitur medicus cognoverit, pus concoctum esse, atque perceperit, abscessum tegmina abdominis extrudere; optimum factu est, non expectare, donec pus sibi exitum faciat, sed, plagâ factâ, quamprimum emittere; summâ interea curâ adhibitâ, ne irruat aér, et periculosam inflammationem moveat. Opere hoc finito, vulnus curandum est, ut vulnera hujus partis corporis curari solent.

Inter curationem, vires redintegranda sunt diætâ valente et concoctu facili, vino generoso,

generoso, et cerevisiâ. Eundem in finem, interdiu *cinchonæ* cortex, aut aqua ex hoc decocta, parcâ haud manu assumatur; atque vespere anodyna, quò placidam noctu et recreantem quietem convalescens capiat.

Eadem necessaria sunt, ubi pus eruperit in pulmones aut intestina. Si in pulmones, opus præterea erit, ut assumantur medicamenta, ex iis quæ ex pectore sputum moveant: si verò in intestina, ut leniora subinde laxantia, quibus hinc dejiciatur.

